

Quod si lubet tropicè interpretari sententiam Platonis, ut anima mundi nihil aliud sit quàm harmonia & proportio caussarum, quæ res variæ & contrariæ in hoc universo concordant quasi quadam discordiâ copulantur & conspirant amicè, cum ijs non pugnabimus: uti neq; cum ijs qui existimant Platonem per mundi animam intelligere, quod omnia in mundo divinâ providentiâ prudenter & ordinatè administrantur. Object. 1. Cujus partes sunt animate, ipsam totum est animatum. Mundi partes sunt animate. Ergo. Min. Prob. Nam plantæ & animalia extra controversiam sunt animata: cælum etiam & astra non pauci animata esse volunt. R. Non omnes partes esse animatas patebit in specialibus tractationibus de cælo, stellis, mineralibus, &c. Object. 2. Quod corpus est perfectissimum, illud est animatum. Mundus est corpus perfectissimum. Ergo. R. ad minorem mundum non esse corpus, sed multa corpora, vel multorum corporum collectionem vel systema. Ineptus hic est Timæus problemate 11. & 12. c. 2. Phys gen. dicens mundum esse corpus artificiale, non naturale, idcoq;

non